



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Summarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)



DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER VICESIMUS PRIMUS,

Qui pertractat de humanis Officiis, indagatque in genere illorum, siue salutaria sint, siue confclerata, naturam.

SUMMARIUM.

I. Ratio Ordinis.

I.
Ratio Ordinis.



LEGUM, quas natura singulorum animo inscripsit, quas oblivione deletas tabulis lapideis supremus mundi Rector insculpsit, & quas humani Generis Reparator Apostolis tradidit, hi vero per universum terrarum orbem promulgaverunt, unus est finis maximus ac præstantissimus; creaturarum scilicet rationalium mores formare, vitia cohibere, promovere virtutes, agendarum rerum normam, rationemque proponere, improbosque à pravis, flexisque semitis revocare. Ad sublimem hunc, perfectissimumque *νόμον* diriguntur etiam humana jura, tam Ecclesiastica, quam Politica: & licet hæc spectare videantur temporale commodum Reipublicæ, Regnorumque mortalium tranquillitatem; in his tamen finis illorum præcipuus minime constituitur: sed, quemadmodum Legumlator sempiternus, hujusque Universi supernus Artifex condidit terram pro filiis hominum, & in gratiam immortalis animi corpus plasmavit de limo; ita Ecclesiæ Antistites, ita Imperatores, ac Reges, alique humanarum legum Conditores, qui ipsius Dei vices gerunt, atque per illum, ut inquit omnium hominum Sapientissimus, regnânt, & justa decernunt, res terrenas, corporeasque hominis causâ moderantur; ut homo ipse

facilius possit Creatori suo obtemperare, rectissimoque ordine militantis Ecclesiæ, ac terrestris civitatis perfecto regimine, assequi cælestis urbis Jerusalem, sanctorumque civium plenissimam felicitatem. Qui enim solam politiam, & consuetudinem, secundum quam vivere unumquemque, & inter homines conversari decet, statutis suis nititur confirmare, neque illam referre studet ad spiritalem principatum; aut Legumlatoribus, Virisque principibus non est accensendus, quoniam non curat, quod in legibus præceptum est, ut omnia sint ordinatissima: aut si placet illum dicere præscriptorem juris, populi que Rectorem, haud nobilior erit principibus Babylonis, id est, perturbatæ civitatis, & redactæ in confusionem multitudinis. Cum itaque civibus Jerusalem, non Babylonis unusquisque nostrum percipiat adnumerari; ego autem superiori libro præscriptiones legum, quantum suscepti Operis patiebantur angustia, tradiderim, non ut instruerem politicos, sed ut Augustinenis discipulis inconcussa sancti Parentis dogmata, & probitatis regulas commonstrarem; æquum est, ut absoluta de Legibus dissertatio, humanorum officiorum naturam, genera, & canones exponere non prætermittam: quod proximo libro primo ac vicesimo, si mihi aderit propitium Numen, non absque ulla legentium utilitate persolvam.

CA